

**De pernionibus : dissertatio anatomico-chirurgica, die Veneris 29â.  
Septembris, anno 1786, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam  
discutienda.**

**Contributors**

Berrut, Jacques.  
Sue, P. 1739-1816.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1786.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n3d88kj6>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*W.H.*

# DE PERNIONIBUS, *DISSERTATIO* ANATOMICO-CHIRURGICA.

*Die Veneris 29<sup>a</sup>. Septembris, anno 1786, à sesqui - secundâ  
post meridiem ad septimam*

D I S C U T I E N D A.

*P A R I S I S,*  
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;  
PRO ACTU PUBLICO,  
ET  
SOLEMNI COOPTATIONE.




Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ  
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareæ.

---

M. D C C. L X X X V I.

Frigus & effoetæ revehunt infesta senectæ  
Tempora , tristis hyems , ancepsque autumnus ; hiantes  
Stringuntur tubuli pellis ; coguntur & intùs  
Tot variis pellenda viis excreta : cruoris  
Concrescit lento moles tardissima gressu.

*Geoffroy, Hygieine. Poëma, lib. 1, vers. 521*



DE PERNIONIBUS,  
DISSERTATIO  
ANATOMICO-CHIRURGICA.

---

---

Quot & quantas edat strages immoderatum frigus probat  
quotidiana experientia. Homines, dum scelerato frigori sese  
subripere tentarent, veniente brumâ, artium inventrix necessitas  
docuit primum ex silice scintillas excutere, ignemque foliis  
suscipere. Huic pabulum abundè ministrabant tunc immensa  
ubique nemora saltusque. Tempestatum etiam vicissitudini  
accommodata deindè sibi confecerunt homines vestimenta,  
optima adversùs hyemis inclemantium munimenta. Non minùs  
diro modo sævierunt morbi tum interni tum externi, à nimio  
perduranteque frigore producti. Inter externos verò frequen-

Proëmium.

A

2

tissimus, si non periculosisssimus, meritò dicitur *Pernio*, de quo quædam hic tradere præcepta tum pathologica tum therapeutica operæ pretium duximus.

Sed, ut in tractatione posteà filo nunquam fallaci nostri regantur gressus, satiùs nobis visum est, si cutem ipsam, morbi à nobis describendi sedem, anatomicè lustraverimus; siquidem indè læsionis causas, signa & symptomata pendentibus magis elucescent, & ex his etiam sponte & ad Artis Magistrorum mentem fese offerent indicationes therapeuticæ.

## *E X A N A T O M I A.*

### I.

**Generalia de Cute.** Cutis, in cadavere potiùs *pellis* vocanda, corporis humani commune & universale involucrum, ita per omnem ejus ambitum externum diffunditur, ut nulla pars illâ careat. Quin etiam per interiora corporis viscera porrecta, structuram ibi ac formam immutat, & in cellularem textum tenuissimum videtur abire, mutatâ quidem structurâ, mutatis etiam usibus, sed integrâ totius ejusdem continuitate. Vario in diversis variarum regionum incolis colore insignita, nec eâdem formâ aut eodem decore in sexu utroque præfulgens, diversitates multiplices accipit à partibus suppositis. Non simplex involucrum, organum constituit cum mirâ varietate conflatum, tum ad corporis utilitatem, tum ad ejusdem formæ pulchritudinem.

### I I.

**Cutis divisio.** In cute partes aliae sunt ad ejus constituendam fabricam essentiales, quæ scilicet semper & ubique reperiuntur: aliæ

in ipsa tantummodo nascuntur, possuntque aut abesse aut adesse, illæsâ ejus fabricâ, & non discissâ ejus integritate. Partes ad essentiam cutis necessariæ & apprimè distinctæ tres sunt: interna, sive *corium*, cutim propriè dictam constituens; media, sive *reticularis*, *Malpighiana*, organum cuti superpositum; externa tandem *epidermis* vocata, duabus aliis superextensa & illas amiciens. Partes cutis accidentales, vel illæ quæ ejus structuram non constituant, tres etiam sunt; nempè *pili*, *ungues* & *folliculi*, de quibus nihil hîc dicemus.

## III.

Ubi primum intra uteri materni parietes jam aliquam futuræ compagis formam edit infantile corpus, partiumque adumbratur effigies, post primam illam organicam quidem gelatinam, membranâ tenui partes jam formatæ delineantur, vix sensuum externorum oculis deprehendendâ. Hæc tamen est nascentis cutis origo, citò crassitiem aliquam adipiscientis. Sed promptâ & ferè subitâ mutatione fit subrubra, simulque tenuibus vasis, vel, si velis, villis albicantibus horridula videtur. In illam verò, quæ partium ferè omnium mollium basis est, desinunt, teste imprimis *Hallero*, omnia corporis vasa; desinunt etiam, & proprietates suas deponunt nervorum stamina: sic in primâ suâ origine plures diversi generis partes cutem ipsam constituunt, nerveæ scilicet, vasculosæ-ferosæ, non unius tenuitatis, sed multiplicis ordinis, vasculosæ-sanguineæ. His si cellulas basim omnibus præbentes addideris, habebis totius cutis ideam prorsùs adæquatam.

Cutis origo.

## IV.

*Epidermis*, sive *cuticula*, tenuis admodum & translucida

*Epidermis*.

A ij

pellicula, è squammulis potius quam lamellis sibi superpositis membraneis conflata, cutim, cui firmiter adhaeret, adeoque totum reliquum corpus exteriùs obvolvit. Sed quasi illa gelatinoso superponeretur textui, videtur in cute titubare & vacillare, apparetque attentiùs & vitrorum opticorum ope rerum naturam lustranti, ab ipsâ cute per tomentum leve, tenuē, forsitanque vasculosum separari & sejungi. Hinc in morbidis & languentibus infantibus, quoties epidermis sub farinæ formâ solvitur, toties renascitur illa.

Caveto tamen ne inde concludas in epidermide duas distinctas lamellas esse numerandas; subtilior certè non habenda est illa divisio: non enim una aut altera lamella distingui potest. An verò cuticula sit ex fibris certo ordine contexta, an potius oriatur à materiâ viscosâ à subjectis partibus exhalante, & per compressionem corporum ambientium coercitâ, meritò dubitatur. Prius quidem apparet magis consonum Naturæ legibus, quibus utitur in aliarum corporis partium structurâ: posterius probare videtur promptissima cuticulæ regeneratio, cum in morbis quibusdam cutaneis magna pars ejusdem ablata brevi temporis spatio restituatur. Quidquid verò sit, proximæ cutiæ cuticulæ lamellæ erasæ tenuissimas humoris guttulas emittunt. Inde vasa judices adusque epidermidem protendi.

Hanc membranam, cutis & plicaturas & foramina ita subire & consequi constat, ut illa in detractâ epidermide annotentur facilè. Si verò epidermidem, quæ inspicienti oculo nudo sicca atque arida apparet, oculo vitro opticè armato lustraveris, illa tibi quasi vernice obducta videbitur, splendente atque oleosâ, nec ulla pars illâ caret, nisi quæ cicatrice obducitur; si manus aut pedes aquâ laveris, & linteis terferis durius, ob hanc causam vernix illa loco non cedit, licet inde paulò obscurior fiat. Videtur humor ille à subjectâ cute exstillare, novumque

ad occursus varios corporum lalentium offerre munimentum.

Constat nullam esse è corporis humani partibus adeò facile reparabilem atque epidermidem, quæ quotidiano usu deterritur; quotidiano Naturæ impulsu pariter reparatur. Constat etiam putrescente subjectâ cute, ipsam perstare incorruptam, adeòque eam cutis putredini præpediendæ aptam. Verùm quam evia ipsam cutim retineant vincula, & quantum simul humoris à muco subjecto exstillet, apertè demonstrant vesicæ illæ combustionibus illicò supervenientes, quæ subitò ab igne plena exuberant muco, partim concreto, partim inconcrescibili.

## V.

Inter epidermidem & corium textus invenitur, in pueris atque feminis multò distinctior quàm in adultis, aut rugosâ senescentium cute; ex concreti muci tenuissimi lemisi compactus, reticuli in formam undequaque expanditur, mucoque obducitur. Circà rete illud filamentosum repunt variè complicata vasa tum arteriosa, tum venosa; undè variis implicationibus apparent errantia.

Organum Cutis reticulare, mucosum, & papillare.

In illo reticulari textu, quem primò in linguâ celeb. descripsit *Malpighius*, accuratiùs prosecuti sunt *Stahellinus* & *Hallerus*, quem suis injectionibus illustravit suo dignus nomine *Kaw. Boerrhave*, sese insigniùs deprehendi sinunt nervorum pulposæ extremitates, nunc stratæ & cuti parallelæ, quandòque reclinatæ, quandòque etiam arrestæ, nunc dispositæ in plicaturas ovales, nunc in spiræ ordinem revolutæ. Quæ quidem, utut tenuissimæ sint, atque oculis non armatis vix conspicuæ, locum dubitationi relinquunt, an non fasciculis adhuc componantur.

An verò rete illud à nervorum tunicis expansis & papillar-

referentibus conficiatur, an contrà merè cellulosum sit, ut contendunt quidam recentiores Anatomistæ, nondùm definitum est. Id certè comprobatum, cutem adeòque & reticulum & epidermidem è tenuiores esse, quò propiora sunt origini corpora, ita ut à maire rubentes infantuli tractu tantùm temporis albescant, pulposique sint, ac mucum exsudent undequaque; sed siccantur atque arescant cum ætate omnia; senescentibus omnia hebetantur atque obtunduntur, ut sensuum sic secretionum cutanearum organa.

## V I.

**Corium, sive Cu-** Laxiori sine cellulari telâ concipi non potest cutis structura: illa enim tela sensim brevioribus atque brevioribus cellulis textum suum in se adducens, fit strictior breveque strictissima, sed adusque extremam cutis superficiem, naturam suam servat: undè tota cutis cellularis est, & vasorum multiplicata tenuitas multiformi glomeramine dum cellulas illas exteriores quasi implet, cavum dissimulat, ita ut in extremâ illâ cute, areæ seu potius areolæ tantùm judicentur, quas cellulas Natura efformavit. In his verò acutiùs inspiciendis, atque ad limbos usque cutis sequendis, opus erit microscopio, quod tibi cutem ita efformatam demonstrabit, ut quæ corium efficiunt cellulæ à textu cellulari substrato, sensim vario ordine arcantur in tenuissimam fabricam; pars verò extima, vatis fibrisque nerveis, & præcipue nervorum tunicis textum mucosum efficientibus formetur. Hanc omnem corii fabricam perspicuè admodùm deprehendes, si cutem puerilem recentem aquâ tepidâ priùs benè lotam aliquantis per maceraveris.

Nec illas cellulas in statu fano omni humore vacuas credideris: ut enim ampliores adipe implentur aliquando, sic

minimæ humore mucoso concrescibili semper turgent. Hunc facilè è cute infantis recèns mortui levi pressione exprimas, & melius adhuc ex cute recèns puerperæ, in quâ merè lacteus subturbidusque apparet. Ab hâc constanti harum-ce cellularum repletione pendet diversitas formæ in mulierum ac virorum cute, in eâ quæ tenellos & lactentes circumdat, aut illâ quæ arida & exsucca, flaccidior pendet in senibus undequaque. Plurimis in cutis morbosis phœnomenis comprobatur ejus structura cellularis, quas hîc recensere programmatis limites non finunt.

Ex hâc expositâ corii structurâ nihil est undè in illâ universalí consideratione tendineas aut musculosas quæramus fibras, quas in mobili animalium cute reperias. Quæ enim plicæ, quæ vincula in variis cutis humanæ partibus deteguntur, ea omnia ab arctatâ cellularum formâ pendent.

### V I I.

Fabrica cutis in universo corpore eadem, multas tamen, sive tangenti digito, sive lustranti oculo differentias exhibit, sæpè à subjectarum partium naturâ ac formâ, sæpè etiam à variis accidentibus ortas: primariæ sunt illæ à colore, sexu, ætate pendentes; secundariæ oriuntur à constitutione uniuscujusque nativâ, quales sunt tenuitas, extensilitas, &c.

Cutis varietates  
quædam.

De differentiis illis quæ à textûs cellularis colore & à parte intûs evolutâ colorante desumuntur, hîc fusiùs dicere, quatenus color ille Nigritas & Æthiopes constituit, à proposito prorsùs alienum foret. Observasse satis erit colorem in infantibus atque mulieribus Europæis magis albidum, splendidiori cellulas replenti muco deberi; in maribus & viris umbratilem vitam respuentibus magis ac magis infuscari; quod à radiis solaribus incautiùs acceptis evidenter repetendum est.

Varia etiam est cutis pro variâ corporis parte. Quàm mirum artificium in humanorum ditorum fabricâ ad illorum apices! Tot concentricæ spinæ, tot ovales circumvolutiones in bases redeunt sibi parallelas, dum in quibuscumque sulcis latent oculo acutiori non impervia foramina, quibus obversum incumbunt & inoculantur papillæ nerveæ. Cur tam facile tantoque impetu nascitur in plantis pedum titillatio, cute alioquin parùm sensibili? Hic causas involucro suo tegit Natura: effectus tantummodò sinit videri. Diversa est omnino cutis capillatae fabrica à reliquâ totius corporis cute: axillæ, inguina, labia vulvæ, præputium nonne aliam etiam sibi cutis formam vindicant, quæ exhalat humorem, sæpè fætore gravem, aliquando inodorum, aut si de *Alexandro Magno & Cujacio Jurisconsulto* credere fas est, fragrantem ac rosam spirantem?

Quanta & quàm mirabilis sit cutis extensilitas sat superque probant graviditas & hydrops. Quæ quantumvis ad omnem æquè cutem pertineat proprietas, non æqualiter per eamdem diffunditur, nec æquè extensilis est pedibus ac manibus appressa cutis, quàm illa crassior & evidenter cellulosa quæ totum abdomen circumvestit. Aliis in locis cutis ossibus propior distendi vix se patitur; & secta, præter modum retractis vulneris vasis, hiat.

Ad epidermidem potius quàm ad cutis varietates pertinet *callus*, siquidem in statu naturali nullus callus cutim dehonestat. Ab hujus partium successivâ compressione originem repetens, quorundam fit morbus artificum quibus volæ manuum cornu duritie vincant, quales sunt illi qui anchoris cudendis operam indefessam navant. Iis, teste *Boerhavio*, familiare est ignita ferra impuniè manibus comprehendere. Comburitur cornu illud, fumum & fætorem exhalat: laminas tamen calli sensus non penetrat.

,

## V I I I.

Perspirationis insensibilis exsudationi continuò favet cutis. Sed illa secretio non unica est aut unius naturæ, pro variis cutis partibus. Plures adhuc aliæ sunt vel ejusdem naturæ, vel diversæ in cute secretiones, quarum mechanismo fit ut ea pro universali emunctorio habenda sit.

Cutis usus & proprietates.

Præcipuus verò & latè extensus cutis usus est, tactui organum præbere, sensui maximè diffuso, in digitorum apice sedem delicatissimam habente.

Proprium est cutis titillationem experiri & pruritu affici: sed priori non patent omnes ejusdem partes, dum posteriorem affectum omnes æquè experiuntur.

Inest adhuc cuti, præcipuè viventi, tensio quædam sive vis tonica, quâ, si cutim vivam reseces, hiat illa præter modum & utrimque discedit tanquam in actu elaterii, magis in juvene quam in sene, in cute aridâ quam in laxâ, in inflamatâ quam in sanâ. Usus certè per totam cutim expansæ proprietatis illius summus est: scilicet magnæ est utilitatis, tum in impediendâ hostilium & irritantium atomorum intromissione per bibula & hiantia cutis vasa, tum etiam in coercendis humorum in perspirabilia vasa effluviis, tum demùm in concipiendis atque emittendis sudoribus criticis.

## È C H I R U R G I A.

### I.

PERNIONUM etymologiam, græcam & latinam reperimus esse. Ab Hippocrate (1), Goræo (2), Fallopio (3), Huche-

Pernionum etymologia.

---

(1) Lib. 5. Epidem. Lib. 2. Cap. 199.

(2) In Defin. Medic. suo loco.

(3) Lib. de Tumor. partic. cap. 36.

rio (1), & pluribus aliis Perniones græcè dicuntur κιμηλα vel κεμεθλα, imò etiam apud antiquas editiones Dioscoridis & Pollucis κεμεθλη, genere feminino. Hæc ab hyeme denominatio desumitur, quod scilicet tempore hyberno producti perniones sæpius visantur.

Si etymologiam latinam spectemus, videtur pernio derivari posse à pernicie, secundùm opinionem poëtæ *Macri*, herboriæ rei Scriptoris, qui capite de Colubrinâ, magno uno ejusdem vitii spectato symptomate, ratione gangrenæ, necroseos & aliorum sic canit :

Esse pedum dicunt vitium, cui pernio nomen:  
Est à pernicie membra patientis id ipsum.

Apud nos, à primo quo sævierunt tempore, perniones dicti fuerunt *mules aux talons*; & nunc vulgo dicuntur *engelures*.

## II.

Pernionum definitio realis, & speciale morbi ejusdem genus.

Ne autem, sicuti in proverbio dicitur, putamina tantum nos resecuisse videamus, ipsum nucleus nunc propriùs attingemus; undè necesse est ad ipsam pernionum naturam atque definitionem realem accessum facere. Hoc jam nomine vulgatus morbus, ad quodnam generum ab auctoribus constitutorum referri debeat, haud planè discretum est, indefinitâ adhuc renum tumor, num ulcus habendus pernio sit.

Porrò, Galeno auctore (2), cùm tumor sit *incrementum*

(1) De Diæta ac Therap. pueri. tit. de Pernion.

(2) Lib. de Tumor. præter naturam.

*particulae cujuspiam in longum, latum & profundum, tumor est Pernio: à Gabriele Fallopio (1), Philippo Ingraffia (2) & Julio Cæsare Arantio (3), cum tumorum familiâ censitus ac tractatus est Pernio. Verumtamen à Celso sine ullo nomine proprio describitur (4), inter ulcera à frigore pendentia. Hyeronimus Mercurialis in suâ definitione hunc, nullâ tumoris habitâ ratione, nuncupavit ulcus, propterea quod, quatenus tumor est, eatenus nullam inferat noxam (5).*

Alii morbum per inflammationem definire malunt, ut *Sennertus*, (6) *Rodericus à Fronseca*, (7) *Sachsius* (8); alii per rubores pruriginosos cum *Petro Borello* (9), per rimas seu fissuras cum *Platero* (10), & *Paulo Æginetâ* (11).

Quidquid sit, est liberum hoc aut illud opinari, vel potius alterutrum opinandum, modò Pernionum tempora & gradus apprimè distinguantur. Per tumorem tamen concinnè definiri posse Pernionem confirmat auctoritas celeberrimorum Artis Procerum & inter hos *Jonstonis* (12) & *M. Aur. Severini*, qui dicit: (13) *Perniones sunt tuberculæ in pedibus manibusque in-*

(1) Lib. de Tumor. præter naturam.

(2) Lib. de Tumor. præter naturam.

(3) De Tumor. secundùm locos affectos.

(4) Lib. 5, cap 28 n°. 6.

(5) De Morb. cutan. & de Morb. puerorum lib. 1, 7.

(6) Med. Pract. lib. 5, pars 1a., cap. 15.

(7) Consult. Med. 12, pag. 52.

(8) In Γαμηταρολογίᾳ, pag. 788.

(9) Hist. & Obs. rar. cent. 3, pag. 222.

(10) Prax. p. m. 677 & pag. 689.

(11) Lib. de Re Med. lib. III. cap. 79, pag. 310

(12) Syntagm. univ. med. pract. pag. 1515.

(13) Lib. de Absces, reconditâ nat. lib. 7 pars 3a., cap. 6.

*flammatorm & ulcerosam affectionem referentia.* Magis verò nobis adhuc arridet sequens *Mulleri* definitio, quā pronuntiat (1) Perniones esse *tumores partium extremarum, manuum & pedum cumprimis, à sanguinis in poris earumdem coagulatione majori vel minori per frigus inducti.* Hâc porrò & *Severini* definitione multos à pernionibus affectus discreveris, vide-licet intertriginem, paronychium, tophos podagricos, clavos, callos, pluresque alios hîc non recensendos.

## III.

*Pernionum sedes,* Pernionum sedes ab omnibus non una refertur. Qui nō gradus & differentiæ. minis etymon sunt secuti, pedum hoc vitium fecere privatum: 1°. Sedes. sed non rejecerunt ab hoc ordine manus alii; & hæc est ferè universalis opinio. His *Fallopia* aures addidit ac nares. Experiebantur reverà id apud *Xenophontem* (2) milites, quorum quidam aures & nares adustas à frigore amittebant. Narrat *Severinus*, *Franciscum Romanum*, Medicum & amicam suum, cum brumali tempore Cisalpinam Galliam forte-fortunâ peragraret, Perniones circa cubitos & carpos, nasum & labia partim se, partim comites suos plerosque graviter expertos. Hoc etiam malo pudenda nonnunquam afficiuntur.

2°. Gradus & dif- fentiæ. Perniones rectè à *Celso* in duos gradus distinguuntur, quorum primus tumorem simplicem designat, neqdùm apertum; alter verò tumorem ulceratum. Sub duobus autem istis gradibus plures comprehenduntur differentiæ riemosorum, fistulosorum, crustâ seu escharâ tectorum Pernionum. Simplex Pernio

(1) Dissert. Med. de Pernionibus, 1680.

(2) De Exped. Cyr. lib. 7, p. 318.

13

ille dicitur, qui à causâ simplici in corpus benè moratum  
incidit: malignitatem huic addit aut causæ pervicacia, aut cor-  
poris prava admodùm dispositio, cachectica, scorbutica, melan-  
cholica, &c.

Perniones simplices, & non aperti, tumorem tantùm  
exhibent eximiè rubrum, rubore sub digito omnino evanescen-  
te. Raro admodum lati sunt, & spatiū tantummodo di-  
gitale occupant. Sed multiplicantur, & aliquandò magna eorum  
copia ita pedem, calcaneum, digitosque occupat, ut pro uno  
& eodem tumore haberi possint.

Cùm pueris præcipue, feminis, atque negligentioribus ma-  
lum illud accidat, protrahitur sèpè præ neglectu. Pernionibus,  
iisque rebellibus potissimum, subjiciuntur illi quibus pedes  
atque manus humore perpetuo madent, &c.

Plures alias differentias Pernionum stabilire haud difficile.  
alii majores; alii sunt parvi, universales & particulares: alii  
aëris, alii aquæ naturæ magis debentur.

## I V.

Causa Pernionum tum mitiorum, tum severiorum, ex om-  
nium auctorum consensu, frigus est. » Non quidem, inquit  
» celeb. Med. Lorry (1), quod frigus certam congelationem  
» attulerit, sed quod perspiratio suppressa præ vasorum inertiam  
» à frigore inductâ hîc hæreat, & partim ab erethismo va-  
» forum, partim ab hærentiam liquidi, tumorem efficiat erysi-  
» pelatosum, eadem ratione, eodem mechanismo quo causa  
» illa gravior facta gangrenam ibi glaciam efficeret.

Variæ fuerunt de Pernionum causis & procreatione scri-

Pernionum causæ.

---

(1) De morbis cutaneis, p. 661.

bentium opiniones. Quædam proposuit *Severinus* tum ad effectricem causam, tum ad materiam spectantia. Prima causa, omnium consensu, frigus est & bruma. Quoad Pernionis materiam dixit *Fallopis* (1) Perniones esse sanguinem purum: sed *Severinus* rores sanguinis, id est, flores ejusdem & vividissimam portionem pro morbi materiâ assignat.

Duplicis generis esse possunt Pernionum causæ, & distingui in causas mediatas proximiores, quæ sunt frigus & bruma, & in causas mediatas remotiores, quæ sunt temperamentum frigidum & humidum, teneræ & humidiiores carnes, potique nimirum patuli, habitus corporis serosior. Puellas, quibus menses nondum fluxerunt, huic malo magis obnoxias pronuntiat *Fallopis*. Hyemalia tempora ob frigora urgentia atque intensa sunt Pernionum feracia, præcipue si nivosa, & boreas plus justo sæviat. Morbus hic in Norvegiâ, Gronelandiâ, Irlandiâ, & aliis regionibus sub arcto sitis, ob abundantiam nivis ac penetrabile frigus, admodum est frequens, imò quasi endemius. Tantò plures verò aër frigidus inducit Perniones, quò pluribus moleculis aqueis remixtus est, qualis est circa flumina, stagna & mare ipsum.

Si humidis tegumentis corpus integatur, longè præsentius frigoris tyrannis hanc incutitur. Concedens in sylvam servus, teste *Mullero*, tibialibus non probè siccatis indutus sub ocreis, iisque levioris texturæ, domum se recepit cum in utroque pede Pernionibus ultimi gradus, digitis omnibus nigricantibus, & in ichorem resolutis sub vesiculis contentum, uno verbo necrosim passis. Ut ergo aër frigidus per se injuriam hanc facit extimis partibus; ita facilè patet tanto præsentius id fieri, si præsidia

(1) In Tract. de ulcer. cap. de Ulcer. nomode. & l. de Tumor., cap. 39.

contra frigus concessa negligantur , si fomenta ejusdem generis aquea admittantur , si inæqualis magis aëris occursum fuerit. Quo loco meminisse lubet aurei , huc quoque applicandi , dicti *Cardani* (1): « Sunt duo incommoda , inquit , quæ maximam partem » humani generis tollunt , plusque satis quam bella aut crapula : » æstuante exponere se aëri frigido , & humidos ac madidos » pedes diù ferre. »

## V.

Ubi semel Perniones ad apicem incrementi pervenere , tunc <sup>Pernionum ex-</sup> decrescente sensim inflammatione , & colore cutis redeunte , vel <sup>tus.</sup> fanantur vel aperiuntur. Sanescentibus decidit epidermis , & sèpè in squammulas abit. Plures , alia post aliam , laminæ epidermidis à se invicem secedunt successivè , donec perfecta sanatio sit. Ubi verò aperiuntur & ichorem emittunt Perniones , tunc , *Celso* atque *Severino* notantibus , erysipelatum fere omnium in morem , phlyctæna fit , quæ aperta paucum admodum humorem fundit ; at phlyctenæ ipsius fundus , ichore spissiori imbutus , crudus appetet & inæqualis. Ichor interea in latera extenditur ; & vicinas partes attingens , rubore , pruritu , ardore pungente & pulsatione obscurâ afficit.

Sed etiam alia observatur aperturæ forma in Pernionibus : funditur scilicet pluribus in suis partibus tenuissima cutis , quæ tumorem in suo sinu fovet , tuncque à cellulis , hâc cutediuptâ , funditur , non quem ab eximio rubore expectare fas erat , sanguis , sed ichor perpaucus , tenuissimus , ita ut nullo in alio affectu adeò evidenter fabrica cutis verè cellulosa , à nobis in Positionibus anatomicis descripta , appareat. Hoc in rerum statu , si Pernio simplex fuerit , & nulla alia lœdens causa subsit , brevi ,

(1). Lib. 13 , cap. 63 , de Rer. Variet.

pauco emissō ichore , omnia mitescunt , si præsertim à causis Perniones inducentibus removeris ægrum ; at ubi latet aliqua malignior causa , omnia pejorem in morem vertuntur , sicuti accidit in Pernionibus qui in corpora cacochyма atque præsertim cachectica incident.

## V I.

Pernionum dia-  
gnosis. Pernionum indicia vel signa diagnostica jam satis superque ex superiùs dictis patefiunt. Hæc primus inter Latinos certis & propriis verbis exposuit Celsus , quæ rem brevi planèque exprimunt , quæ sunt scilicet , rubor cum inflammatione mediocri , pustulæ interdùm , exulceratio , dolor autem modicus , prurigo major , nonnunquam humoris excretio , sed non multi , qui referre vel pus vel saniem videtur. Hæc Celsi singula explanavit Severinus , ex Commentario quem in hunc Auctorem conscripsit traducta , quibus rigores & alia addit ; febres plurimum Perniones exacerbati movent , ac nonnullam quoque maciem atque pallorem quibusdam invehunt.

Quandò laxior est cutis textus , perspiratio hærens ad cutem , nec per vim inertioris naturæ exire apta , stagnat facile , undè cutis , tunc humentior , facile etiam corruptitur & Perniones facit , qui per patentes cellulas serpunt eò faciliùs , quò illæ humore scatent dilutiori : undè , ubi phlyctæna semel superficiem erysipelatis occupavit , perserpit illa & diffunditur. Præterea verò cùm qui ibi affluit humor crudus , cruditatem perpetuet , nunquam laudabile pus ibi sperandum est. Verùm à fundo ulceroso & irritato manat ichor , nunc paucus , nunc majori copiâ : sed semper tum à nativâ qualitate , tum à stagnatione vicinâ exedit : imo aliquandò , si acrior sit , elicit sanguinem , pruritus immoderatos concitat ; imò & fistularum in morem ,

morem, jam non cutim solam, sed partes etiam cuti subiectas corrodit. Nec inauditum est leve primo aspectu malum tandem ab inflammatorio erysipelatosoque caractere in putridam gangrenam abiisse, quod tamen non tam perversæ Pernionum naturæ tribendum est, quam mixtis simul atque ibi depositis fermentis quibuslibet, præsertim scorbutico, aut herpetico, aut putrido cuicunque. Non enim solùm affectibus pedum ulcerosis, sed aliis quibuscumque novum atque perniciosum characterem induunt fermenta illa, facile ad cutem deponenda.

## V I I.

Quamdiù Perniones adhuc tument ac rubent, quamdiù item sensus & mobilitas sine graviori calore atque dolore superstites <sup>Pernionum præ</sup> gnosī sunt, mitius sanè malum est; ubi verò Perniones livent, membris afflicti rigorem cum sensū defectu & puncturis concitant, gravius utique periculum, proximusque ad gangrenam altamve saltem exulcerationem transitus est. Sic ubi pustulæ super ipsam cutem prodeunt, quales ferè in ustionibus conspicuntur, indicio ipsæ sunt gangrenam reverâ jam subesse. Denique ubi sensus perit, membrumque lividum, molle, flaccidum aut fœtidum vel omnino nigrum fit, suspicari non sine ratione licet, corruptum jam atque emortuum sphaceloque correptum illud ipsum existere: generatim quo amplior ex frigore laesio consicit, quo item graviora symptomata supervenerunt, hœc quoque majus imminere periculum consuevit.

Perniones simplices & sibi relieti, teste *Sennerto* & aliis, curabiles, nec periculosi sunt ut plurimum. Exulcerati quoque iurantur, quatenus ulcus ex Pernione contractum non est mali moris, nec gravioribus stipatum symptomatibus. Perniones incipientes in partibus à nobilioribus longè remotis, ut in brachiis

& pedibus, nihil afferunt detrimenti, sed facilem patiuntur curationem: cum è contrà in partibus nobilibus, nimirum pudendis, naso & auribus, multò periculosiores evadunt.

## VIII.

**Pernionum cura.**  
tio.

Pernionum curatio tuta & certa ut obtineatur, in duas classes cum Pernionum speciebus consentaneas, dividi debet; vel enim curandi Perniones immaturi & adhuc tumentes, necdùm aperti, vel rimosi, ulcerati atque suppurantes. Duplex adhuc cum *Heistero* admittenda curatio (1): nempè externa & interna. Generatim omnis pernionum curatio eò potissimum spectat, ut pristinus sanguini fluor atque circuitus tutò restituantur: eò omnem movet lapidem via curatoria, ut rubor cum inflammatione, item dolor, prurigo, & tumor absimantur, temperies cutis restituatur, parsque tum integra tum exulcerata per topica convenientia ad pristinum statum reducatur. Sed diversâ atque aliâ, quām in inflammationibus reliquis, ratione resolvere hīc sanguinem inspissatum convenit. Etenim quæ in cæteris inflammationibus valdè salutaria, imò vero prorsùs necessaria sunt medicamenta, in Pernionibus longè nocentissima nonnunquam evadunt.

## IX.

**Curatio Pernio-**  
**num chirurgica.**

È duobus consuetis fontibus hauriuntur remedia adversùs Perniones, nempè chirurgico & pharmaceutico. È chirurgico primùm sese nobis offert venæ sectio, quæ, an huic affectui conveniat & adhibenda sit, à pluribus controvertitur. Ubi-

(1) Inst. Chir. tom. 1, pag. 310.

cumque sanguis quantitate & motu peccat, & ventilandus est, ibi venæ sectio quām maximè locum habet. Evacuans quippe seu revellens & derivans humorē vitiosum, lenit dolorem, & fluxum sanguinis ad partem affectam moratur. Variat venæ sectionis locus, prout vel in manibus vel in pedibus malum consedit. Nil præstantius esse *Fallopia* putat (1), quam secare venam in principio, cuius venæ sectione solā quām plurimos præservavit. Hinc *Borellus* (2) testatur etiam se ægrum aliquando habuisse, qui maximo dolore tremoreque pedum affectus fuerit ex frigore nimio; à quo quidem cùm sanguinis inflammationem & ventilationem prohibitam, clausis scilicet à frigore poris, profici sciautumasset, sanguinem è malieolis mitti præcepit, tanto quidem cum fructu, ut brevi dierum intervallo feliciter curatus fuerit æger.

Vicariæ etiam venæ sectionis cucurbitulæ scarificatæ eximium præbent Pernionum remedium; idque tantò feliciùs, quod proximè humores consistentes evacuent, discutiant, membrumque ab acrimoniâ contenti humoris liberent.

Non minoris efficaciæ frictionem esse testatur *Borellus* (3):  
 « Ad Perniones, inquit, nullum æque pollet remedium ac  
 » frictio frequens fragorum, tempore verno, circa manus &  
 » pedes; quod quidem mirum: cum hæc enim vernâ fiant  
 » tempestate, futuras illas congelationes hybernas impediunt  
 » ne oboriantur, nescio quâ ratione. »

(1) Inst. Tract. jam. cit. de Tumor. præter nat.

(2) Cent. I, Obs. 84, pag. 90.

(3) Cent. III, Obs. 32, pag. 222.

## X.

Curatio Pernio-  
num pharmaceutica.  
1º. De frigidis ac ca-  
lidis remediis.

Ad curationem Pernionum pharmaceuticam quod attinet; *Celsus* Pernionibus non adapertis, æs, quam maximè calidum quis pati potest, admovendum præcepit: sed fallax est & sàpè inflammationem excitans illud remedium; semperque præ dolore concitato vitandum. Præterea à nullo alio modo tam facile pars rimas concipit, fitque exulceratus Pernio.

Jam verò Hippocrates, *Celsus* & horum affeclæ Medici, quandò calidam aquam & ex igne petitas medelas Pernionibus admovent, hæc faciunt, desitâ jam fluxione, collectâque totâ materiâ tumoris, ut hæc efficaci calidorum vi dissipetur & exhauriatur; constante verò fluxione, non parcunt refrigerantibus medicamentis, etiam quæ adstringunt admistis: sic gallas cum aceto contritas, sic vini fæcem imponi laudat *Theodorus Priscianus* (1). *Ætius* verò succum admovet hyosciami. *Guido Cauliacus*, vir sanè consultissimus, frigidam aquam laudavit (2). Has ob res omnes verum appetet, calidis ac frigidis æquè Perniones deleri, si tantùm distinguantur usûs opportuni tempora.

In Pernionibus quoque interna medicamenta omnis generis ex usu esse possunt, quæ vel saburram vitiosam è corpore eliminent, vel motum massæ sanguineæ in extimis partibus vacillantem stabiliant, uti diaphoretica è mixt. simpl. tinct. bez. inich. cumprimis & aliis cinnabarinis, &c. Externa nunc lustranda topica, varia hinc indè à Practicis commendata, pro variis Pernionum gradibus & differentiis.

(1) Lib. 1, ad Euporistum, cap. 28.

(2) Tractatu 6, doct. 2, cap. 1 de Doloribus & Mulis.

## X I.

Primo in gradu, quandò Perniones sine unitate solutâ adhuc sunt, quandò adhuc immaturi & tumentes sunt, indicatio jubet adhibere resolventia simul atque è tonicis ea quæ spasmodum non augeant. Porrò cum multa sint quæ aliquâ ratione certoque modo virtutem hanc possideant medicamenta, qualia sunt decocta plantarum subamararum, ut Chamæmeli, bugulæ, brunellæ, saniculæ, eupatorii, agermoniæ, veronicæ, imò & gradu intensiori tonico, absynthii, tanaceti, salviæ, aromatumque variorum, nil mirum si, ut apud veteres, ita & apud recentiores, herbae illæ, tum aquâ tum vino decoctæ, suadeantur, licet ad omnes casus æquè non pertineant.

2º. Curatio Pernionum in primo gradu.

Apud auctores, præsertim veteres, adstringentia styptica quævis commendantur, imò & alumen, & atramentum sutorium, gallæ, flores punici, thus & alia hujusmodi, quorum quidem auctorum auctoritati adstipulatur *Severinus*. Cum verò tonicâ præsertim virtute atque constringenti agant hæc remedia, nonne potius ea inter prophylactica numerari debent? nonne enim cutim stringendo, cutim roborando ea agunt? nonne sic cutim à Pernionibus immunem prorsùs præstant? undè cum *Heistero* aliisque recentioribus præponi suademus vini spiritum quotidie cuti admotum, vel simplicem, si nullus adsit Pernio, vel aquâ dilutum, si jam adfuerit Pernio; cu' us quidem vini spiritus hæc vis est, ut refrigerando & ardorem moderando, simul cutim roboret eximiè.

Ubi Pernio ab acri gelu sumpsit exordium, huc etiam, experientiâ teste, nivem utiliter adhibent rustici, spiculis glacialibus educendis aptam; non æquè confert illa, ubi potius à vitio cutis quam à

sævitiâ frigoris exorti sunt Perniones. Sed tûm ad prophylaxim ; tûm ad curationem Pernionum non exulceratorum , remediiis omnibus præstat partes affectas mutiâ condire , eâque præser- tim cui putredo aliquid alcali-volatile adjunxit. Hujus vices supplet dilutus aquâ sal ammoniacus. Alcali-fixus , è cineribus eductus & multâ dilutus aquâ , ad eumdem usum adhibetur.

Si qui verò Perniones jam experti , singulis annis versùs hyemem de novo experiuntur ; hi , ne malum denuò sentiant , medicamentis convenientibus quasi præsidiis sese munire egregiè possunt. Atque longè optimum hîc est partes olim afflictas petroleo vel therebynthinæ oleo , dum brumale tempus ingruit , manè & vesperè quâm diligentissimè iungere ; vel etiam , ubi Perniones recrudescere atque intumescere rursus occipiunt , vesicam oleis jamjam nominatis madidam talis sive calcaneis , vel digitis ægris superinjicere ; ipsum autem frigus , quantum fieri potest , sedulò quisque semper evitet , aut faltem se adversus illud vestibus idoneis muniat.

Pluribus propositis quæstionibus solutionem dum paucis verbis suppeditat vir Clat. Doct. Medicus Parisin. (1) H. de V.... præcipuum contrâ Perniones remedium commendat sulphuris candardis fumigationem. Huic si pedes vel manus per quatuor aut quinque consecutivos dies exponuntur , quæcumque dura , quæcumque tumefacta emolliuntur atque resolvuntur. Si adsint rimæ cum Pernionibus , hæ , anteaquam adhibeatur fumigatio , bracterii folliculo tegendæ , ut dolor pungens præcaveatur. Non minùs certè necessarium , ad suffocantem sulphuris vaporem vitandum , fumigationem adhibere sub astuatio , & partem fumigandam stragulis cooperire , ut sulphuris candardis vapor conservetur.

(1) Vid. Diarium Paris. anni 1785. N°. 325.

Aliud ibidem (1) datur contra Perniones remedium; nempe: tritici furfuris fumigatio, & applicatio dein casei gallicè dicti, à la Pie, quæ sequenti modo præparantur & administrantur.

Prunis in foco vividissimè accensis submittitur pars Pernionibus afflicta: paulatim & iteratis vicibus super prunam injiciuntur duo furfuris pugilli. Si malum adsit in pede, incumbatur pars duobus bacillis transversim duabus sellis innixis, dum aliud bacillum suprà eminens stragulum ità sustinebit, ut vaporis actio tota & plena in partem ægram delabatur. Desitâ fumigatione, Perniones caseo suprà memorato apprimè linendi, & calidis fomentis curiosè ab iis prohibendum frigus.

Hujus-ce remedii conciliator testatur ternam ejusdem applicationem rarissimè necessariam esse, perfecta ut obtineatur sanatio.

## XII.

Secundo gradu constitutis Pernionibus, temperantia, suppurrantia, exsiccantia proficia sunt, V. G. Emp. de Sperm. ranar. Diapomphol. Diapalm. de Hyosc. de cerussa & alia quibus Perniones & quævis intertrigines redintegrantur. Fungus pulverulentus, qui noxius putatur oculis, Pernionibus est medela, teste Verulam. (2). Timæus (3) solo pulvere ex avenâ ad crepaturam coctâ & per setaceum trajectâ, iterumque exsiccata, exulceratos Perniones manûs curavit. Generatim sicubi ad suppurationem hi tumores veigunt ac hiant, tractare ipsos ut abscessus recentes reliquos convenit. Scilicet ulcus digestivo mixto cum Ægyptiaco antè omnia purgandum est, ulcereque purgato,

3º. Curatio Pernionum in secundo & tertio gradu.

(1) In codem Diario 1785. N°. 335.

(2) H. Nat. num. 553. p. 290.


(3) Casus Medic. 1667. in-4°.

oleum ovorum atque ceræ, balsamum item Peruvianum, oleum therebynthinæ vel essentia aloës ac myrrhæ suprà danda, & denique emplastrum saturninum vel de lithargyro superimponendum. Magni etiam usus in ulceribus hisce oleum est myrrhæ per deliquium, nec-non, si Ephemeridibus Naturæ Curiosorum credimus, mures adusti. Rapa cocta & superimposita multi cum Celso laudant, atque Plinius jam scripsit, (1) *rapum Perniones fervens impositum sanat.*

Pars ulceratis Pernionibus afflicta ita emplastris quoque regitur, ne divellatur, aut ab obviis corporibus lœdatur, & ut ichor depluens absorbeatur. Si morbo scorbutico complicantur Perniones, certè per anti-scorbutica dimicandum est. Idem sit dictum de aliis omnibus vitiis, quæ possent Pernionibus conjungi atque commisceri.

Tertio rariori Pernionum in gradu, illa speciatim ex usu sunt medicamenta, quæ ad arcendam vel curandam gangrænam commendantur, ut unguentum de lithargyro seu nutritum, unguent. fuscum Wursii, Ægyptiacum, aliaque pro re natâ mundificantia & separantia, non omissis remediis internis contrâ putredinem & sphacelum potentioribus.

(1) Lib. XX. cap. 3.



**HANC DISSERTATIONEM**, Deo juvante, & Preside  
**M. PETRO SUE**, secundo, antiquo Collegii Præposito &  
 nunc Qnæstore, antiquo Scholarum Præticarum Anatomia &  
 Chirurgia Professore, Regiæ Academiæ Chirurgiæ Consiliario  
 & pro commercio extraneo Secretario, in generali Parisiensi  
 Praefecturâ Chirurgo ordinario, necnon Academiarum Monspeliensis,  
 Rothomagensis, Divionensis, Lugdunensis, Burdigalensis & Aurelianensis Socio ; tueri conabitur **JACOBUS**  
**BERRUT**, Tarbiensis, in Facultate Andegavensi Artium  
 Magister, antiquus Regis Chirurgus, necnon Augustissimi  
 Principis **MONSIEUR**, Regis Fratris, Chirurgus.

---

### *E M E N D A N D A.*

Pag. 4 lin. 16 priùs, *lege* prius.

— lin. 17 posteriùs, *lege* posterius.

Pag. 18 lin. 13, tum, tum, *lege* tum, tum.

